R. P. IOSEPHI
GIBALINI
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,

De Vſuris, Commerciis, déque æquitate & vſu fori Lugdúnenſis:

Cum accurata Vſurarum; Eius quod intereſt; Annuorum redditnum; Cambiorum; Societatum, & Contractuum omnium explicatione;

TRACTATIO BIPARTITA

VTRIQVE FORO PERVTILIS,

Ex iure Naturali, Eccleſiaſtico, & Ciuili, Gallico & Romano.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,
Sumpt. Phil. Borde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud.

M. DC. LVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROB. DOCT.

Diole el Dr D. Diego de la Fuente Hurtado a la bibl.
del colegio real de la Comp.a de Jhs de Salamanca

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA



ILLVSTRISSIMO, ET REVER.MO DOMINO

D. CAMILLO DE NEVFVILLE

COMITI, ET ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI, Galliarum Primati, & apud Lugdunenſes, Foreſienſes, & Bellyocenſes Proregi.

CONCEPTVM Opus Eminentiſſimi CARDINALIS, tui Anteceſſoris auſpiciis, & propenſa eius voluntate cœptum, tuis tandem auſpiciis, & propenſa gratia ad vmbilicum perduxi, ARCHIEPISCOPE ILLVSTRISSIME. Et merito quod de Lugduno natum Lugduni eſt, ad Lugdunenſem tum Antiſtitem, tum Proregem deferri decet, atque appendi in donarium ſacrum. Cuius enim magis, quàm ipſius refert, ciuiles contractus ad iuſtitiæ formam normámque dirigi, exulare fraudem à mercibus, æquo ſanciri lucrum Inſtitorum, coërceri finibus iuſtis cupiditatem, ac vniuerſum Orbem ſanctas auri leges Lugduno petere? Et verò quiſquis in mores tuos, atque Familiam mentem adiecerit; næ is ſanctiſſimas iuſtitiæ leges obſeruabit, vt frandi eſſe nemini, omnibus commodo, ſuum nulli detrahere, auctoritate non vti, ne precaria quidem, Themidis ima-

 ginem,

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIET. IESV IN Prouincia Lugdunenſi.

HVGO GVILLELMVS, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eiuſdem Societatis à Regibus Chriſtianiſſimis, HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO IV. 20. Decembris 1606. LVDOVICO XIII. 14. Februarij 1611. & LVDOVICO XIV. nunc regnante 23. Decembris 165[illegible] conceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, permittit PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, vt librum cui inſcriptio eſt: *R. P. IOSEPHI GIBALINI, è Societate* IESV *Theologi, de Vſuris, Commerciis, déque æquitate & vſu fori Lugdunenſis, &c.* ad Sex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 14. Maij 1656.

HVGO GVILLELMVS.

APPROBATIONES.

ÆQVVM omni ex parte iudicamus à Nobis attentè perlectum opus R. P. IOSEPHI GIBALINI è Societate IESV Theologi, de æquitate fori Lugdunenſis, Vſuris, & Commerciis; quapropter nedum orthodoxum in fide, & moribus reperimus, ſed neceſſitati publicæ cudendum aſſerimus, Lugduni Idibus Nouembris 1656.

F. CYRILLVS MOREL, Doctor Pariſienſis, necnon Carmelitarum Prouincialis.

F. PAVLVS LOMBARD Doctor Pariſienſis, & Prior Carmelitarum.

CONSENSVS.

HVNC librum qui inſcribitur, R. P. IOSEPHI GIBALINI è Societate IESV Theologi de Vſuris, Commerciis, déque æquitate, & vſu fori Lugdunenſis, &c. Typis mandari, & in lucem edi in vrbe ſumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis in præfectura Lugdunenſi Procurator non impedio, die 18. Nouembr. 1656.

V. DE PANETTE.

PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regis conſenſu, hunc Librum typis mandari ſupradictis Lugdunenſibus Bibliopolis concedimus, & ne quis citra facultatem denuò excudat prohibemus, Lugduni die 18. Nouembr. 1656.

DVSAVZEY.

R. P. IOSEPHI GIBALINI E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

DE ÆQVITATE FORI LVGDVNENSIS,

Vſuris, & commerciis, atque vniuerſa negotiatione;

Ex Iure naturali, Eccleſiaſtico, & Ciuili, Gallico, & Romano;

TRACTATIO VTRIQVE FORO PERVTILIS.

OCCASIO SCRIPTIONIS, EIVS Argumentum & Partitio.

QVÆ tria per ſe ſingula nobiliſſimas vrbes commendant, eximia Pietas, inſignis Eruditio, & ingens commerciorum frequentia; ea ſimul vniuerſa Lugdunum hactenus illuſtrem reddidêre; Pietatem ſpirat antiquiſſima à Photino, Irenæo, aliiſque Apoſtolorum diſcipulis fundata Eccleſia, cuiuſque in cæteras Gallicanas prærogatiua ac dignitas, Martyrum populi, vt loquitur Eucherius, & in auita fide retinenda conſtantia; Eruditionem celeberrimæ Scholæ, & Ara Lugdunenſis ad quam Rhetor dicturus palleret, & illuſtre S. Odilonis in vita Adhalaidis Imperatricis, Lugdunum Matrem quondam & nutricem Philoſophiæ *nominantis teſtimonium, viri ſacrâ prophanâque literatura celebres teſtatiſſimam faciunt; Ampliſſimum & populoſiſſimum Emporium commerciorum cum reliqua non modo Gallia, ſed Europa vniuerſa, atque ipſo ferè Orbe præbet opportunitatem: Pietas Eruditionem, Eruditio Pietatem illuſtrat, & vtraque commerciorum æquitatem tuetur, atque fraudes quibus negotiatio ſolet eſſe obnoxia, detegit & amolitur: Parum ſiquidem oculata eſſet illa Sapientia, quæ iniquitatem ac dolos non videret: aut ſibi mentita ſpecie commercij pateretur illudi: ficta Pietas, quæ probaret aut diſſimularet compertas fraudes & iniuſta commercia, totámque Lugdunum dum diuitem eſſe cupit, impiam & ream faceret. Neque fori Lugdunenſis iuſtitiam accuſare poterit aliquis, quin nobiliſſimæ Eccleſiæ ſanctitatem, & Eruditarum, antiquarúmque Scholarum doctrinam, quæ iniuſtis commerciis authoritatem faciant, eâdem accuſatione percellat. Quare dum communem, & paſſim ab omnibus in hoc celeberrimo Emporio vſurpatam negotiandi rationem defendo, ſacrorum maieſtatem & eruditorum ſapientiam vnâ, eadémque operâ tueri me exiſtimo. Ad eiuſmodi porrò defenſionem hac tempeſtate ſuſcipiendam non leuis me impulit occaſio.*

Solent plerique Lugduni pecuniam per publicos proxenetas negotiatoribus dare eo pacto, vt